

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 90

Domino magnifico Ruduwino et filio suo ego Berneradus abbas: ea petistis, ut res illas in pago Muslense et. super fluviolo Gandra in villa que vocatur Fuckinseim et in alio loco qui dicitur Bonelarc, quem ante hos dies per donationis titulum una cum adiacentiis, rivis, terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mancipiis, mobilibus et immobilibus ad monasterium sancti Willibrordi condonastis, una cum consensu vel voluntate fratrum nostrorum vobis prestissem, in ea vero ratione, ut dum advixeritis ipsas res nostro beneficio habeatis ad excolendum, et censum annis singulis ad festivitatem sancti Willibrordi solvere debeatis, et vos de ipsis rebus negligendi nec minuendi nec vendendi nec donandi nec ullam calumpniam gerere debeatis, sed post vestrum quoque discessum res nostras emelioratas absque ulla contradictione vel iudicis adsignatione ad prefatum monasterium in nostram recipere faciamus dominationem vel potestatem. Actum anno XIII regnante Karolo rege.